

## QVARTVS.

sunt de Luna à parte meridiei duo digiti. Secunda fuit in nono annorum Adriani, die 17. mensis Machir ægyptiorū: cuius mane fuit dies 18. ante mediū noctis Alexandria tribus horis & tertia & quinta. Eclipsata quoq; est de Luna sexta diametri à parte meridiei. Fuit autē utraq; iuxta nodum caudæ, & Luna in utraq; iuxta longitudes medias epicycli sui, quod sciri potuit per tabulas motus in diuersitate iam factas, & radicem eius in principio annorum Nabuchodonosaris, & differentiam temporis usq; ad ambas eclipses. Fuit enim prima eclipsis à principio annorum Nabuchodonosaris 256. annis ægyptijs 122. diebus, 10. horis, & duæ tertiæ horæ de tempore differente, sed de mediocri 10. horæ & quarta. Secūda uero fuit à principio annorum Nabuchodonosaris 871. annis ægyptijs 256. diebus 8. horis, & duabus quintis unius de tempore differente, sed de mediocri 8. horæ, & medietas sextæ unius horæ. In prima itaq; eclipsi distabat Luna à longitudine longiori epicycli 100. gr. 19. m̄. In secunda 251. gr. 56. m̄. Ideoq; in prima fuit cursus uerus minuens ex medio 5. gr. In secunda fuit cursus uerus addens super medium 4. gr. 53. m̄. Quare in intervallo duarum eclipsium, scilicet in 615. annis ægyptijs 133. diebus 21. horis, & 50. m̄, unius fiet cursus Lunæ in latitudine uerus, continens integras redi- riones, sed cursus medius minuet à uero reuolutionem integram, aggrega- tum ex ambabus diuersitatibus, scilicet 9. gr. 53. m̄, sed secundum nume- rationem quam posuit Abrachis in prædicto intervallo, minuit cursus me- dius in latitudine à uero 10. gr. 2. m̄. Fit igitur cursus medius in latitudi- ne in prædicto intervallo maior in 9. m̄, eo quem assignauit Abrachis, quæ diuisa per dies interualli, scilicet 224609. ferè ostendunt, addendum sup motu medio latitudinis in uno die posito ab Abrachi, ut exeat cursus re- ctificatus.

### PROPOSITIO XVI.

Distanciam Lunæ à nodo secundū cursum latitudinis me- dium atq; uerū per eclipses indagare, atq; radicem mediij mo- tus in latitudinem ad principium datum firmare.

¶ Assumpsit ad hoc Ptolemæus sciendum eclipses duas. Vnam ex eis quam diximus. Secundam tritum antiquarum, scilicet quæ fuit in secundo anno Mardochæi, transactis 18. diebus mensis Thus ante mediū noctis Alexandria medietate horæ & tertia. In qua eclipsati sunt tres digiti à parte meridiei. Et fuit à principio annorum Nabuchodonosaris 27. annis ægyptijs 17. diebus, 11. horis, & sexta horæ de utroq; tempore. Et distan- tia Lunæ à longitudine longiori epicycli sui 12. gr. 24. m̄. quæ minuebat à cursu medio 59. m̄. Aliam assumpsit, quæ fuit in anno 20. annorū Da- rij, qui regnauit post Philippum 28. die mensis Thus ægyptiorū, cuius ma- ne fuit uicesimus nonus, ante mediū noctis Alexandria per unam horā. In qua eclipsati sunt similiter tres digiti à parte meridiei, & fuit à principio annorum Nabuchodonosaris 245. annis, 327. diebus, 10. horis, & medie- tate & quarta de tempore differente, sed de mediocri 10. horis & quarta horæ. Et distanciam Lunæ à longitudine longiori epicycli sui 2. gr. 44. m̄. minuens à medio motu 13. m̄. Interuallum itaq; ambarum eclipsium fuit, 218. anni, 309. dies, 23. horæ, & 12. unius ferè. In quo tempore medius cursus latitudinis per numerationē, habet ultra reuolutiones integras 160. gr. 4. m̄. Sit igitur circulus Lunæ decliuis a, b, g. super diametro a, g. no- dus capitis a, nodus caudæ sit g. & b. sit maxima declinatio huius decliuis

